EXERCITATIO ACADEMICA DE PEREGRINATIONE VETERUM SAPIENTUM, ERUDITIONIS ERGO...

Nicolaus Bartholomäus Franke, Jacob Cramer

§. I.

CUm nihil in vitâ præclarum, nisi animus cupiditate rei, qvam affectat, flagret, & ardore qvodam rapiatur, effici qveat: tum maximô studio id pensi habuisse constat, qvotqvot ad doctrinæ laudem aspirare connisi sunt. Antiqvos inprimis, qvorum ingeniis & sapientiâ Græcia olim & Roma effloruit, in id incubuisse advertimus, ut ad capessendas scientias miram animi contentionem & studium afferrent. Qvanta enim cupiditate indipiscendæ doctrinæ æstuârint, luculenter comprobatum ivere, adornatis in remotissimas terras peregrinationibus, ut eruditionis & disciplinarum cultum exinde peterent. Qvominus mirum videri debet, illos ad tantum sapientiæ fastigium evasisse, qvi tanta curâ & alacritate capessendæ affuerunt. Qvæ laus, qvò magis propria est & perpetua priscis sapientiæ proceribus; libentius tamen erectam & generosam indolem facere apparet, ut hæc sapientissimorum hominum vestigia, impari qvamvis ausu legat, actusq; exprimere annitatur. Enim verò tantorum virorum institutum cum curatiùs mecum expenderem & commentarer, ità probari animadverti, ut dignum omninò argumentô statuerem, in qvô qvalecunq; ingenium atqve industriam exercerem. Qvod qvidem, annuente numine, hac dissertatione effectum dare sedet. Itaq; si in memorias & retrò voluta secula ibimus, ingenti admiratione perculsi cognoscemus, qvàm multas, easq; dissitas terrarum partes studiô discendi emensi sint, cumq; præstantissimis ejus ævi, eruditionisq; excellentiâ eminentibus viris egerint; qvorum laude postea, velut celeusmate excitati, summi qvidam maximiq; è nostra memoria homines paria cum illis facere studuerunt. Altiùs verò, imò qvoad longissimè abhinc recolere animus potest, repetendæ memoriæ sunt, & transeundum dein in nostra secula, donec

nec non ultrà licet. Qvô factô, strictim & ἀκροθιγῶς, qvid de studio peregrinatorio statuendum sit, delibandum existimavi.

§. 2. Primum itaq; sistendus est antiqvissimus poëtarum, *Orpheus Thracius*, Musices & eloqventiæ laude celebris, qvem sapientiæ cognoscendæ studiô in Aegypto versatum legimus. Diodorus Siculus IV. biblioth. histor. c. 26. περὶ παιδείαν ἀσχοληθεὶς, καὶ τὰ περὶ τῆς Θεολογίας μυθολογούμενα μαθὼν, ἀπεδήμησε μὲν εἰς Αἴγυπτον, κἀκεῖ πολλὰ προσεπιμαθὼν, μέγιστος ἐγένετο τῶν ἑλλήνων ἔν τε ταῖς τελεταῖς καὶ ταῖς θεολογίαις, καὶ ποιήμασι, καὶ μελῳδίαις. Qvæ Laur. Rhodomanno ita versa sunt: *Cum doctrinæ studiis addictus non vulgarem in Theologia veterum scientiam comparâsset, in Aegypum profectus, mulas insuper didicit, ita ut inter Græcos tum initiationum & Theologiæ peritia, tum poëmatum & melodiarum artificio præstantissimus haberetur.* Idem è sacris Aegyptiorum commentariis commemorat, Orpheum, qvæ ad sacra cultumqve Deorum pertinent, ibi hausisse. Verba ejus sunt I. c. 96. Ορφέα τῶν μυστικῶν τελετῶν τὰ πλεῖστα καὶ τὰ περὶ τῆς ἑαυτοῦ πλάνην ὀργιαζόμενα, καὶ τὴν τῶν ᾅδου μυθολογίαν ἀπενέγκασθαι: id est, *Orpheum plerosq; mysteriorum ritus, & Orgia Bachi, deq; inferis mythologiam inde asportasse.* Non parum qvoq; dum in Ægypto moratus est, doctrinâ Mosaica adjutum fuisse, ex Artapanô affirmat Eusebius IX. de præparat. Evang. c. 3. ubi ex versione Trapezuntii ita loqvitur: *Artapanus Merin Chenephrin Ægyptiorum filiam,* ait, *puerum, qvoniam ipsa non pareret, Judæum adoptasse; qvem Judæi Mosen, Græci Musæum appellant, cujus doctrinâ multa Orpheus didicit.*

§. 3. Succedit huic ingeniorum fons, omnisq; doctrinæ parens, qvippe ex qvo velut Oceanô disciplinarum rivos veteres promanare autumabant, *Homerus*, cujus peregrinandi studium plurimis annotatum est. Et qvidem iter in dissitas regiones ingressum, qvod potentium hominum opes gloriæ, qvam sibi apud omnes gentes maximam comparavit, posthabuerit; prodit Pausanias in Atticis p. 3. ed. Sylb. Discendi autem causa Ægyptum petiisse, documentis evincere contendunt Ægyptii apud Diodorum Siculum I. c. 97. *Qvod Homerus eò loci venerit, cùm aliis argumentis tum pharmaco per Helenam Telemacho apud Menelaum ad inducendam*

exam-

exantlatorum oblivionem exhibito, probant Nepenthes n. pharmacum, (à mœroris vacuitate sic dictum) qvod Helenam à Polymneste, Thonis uxore, acceptum ex Thebis Ægyptiis asportasse memorat, poëta diligenter exploratum habuisse videtur.

§. 4. Non pauca etiam ex Prophetarum libris, cum in Ægypto ageret, in scripta sua transtulisse, nonnullis sedit persvasio. Qvam opinionem Justinum Martyrem aluisse ex ejus traditis lucidè apparet. Etenim *cohortatione adgentes*, postqvam hoc Ægyptiorum testimonium ex Diodoro recitavit, subjungit hæc p. 68. ex versione Joh. Langii: *Cujus a. rei gratia hac modò est illata mentio? ut ostendamus permulta esse à poëta ex divinisqvoq; Prophetarum libris in opus suum relata, ac primum conditi mundi à Mose operi suo præmissum initium. Nam Moses ita scripsit: In principio Deus fecit cœlum & terram, deinde solem & lunam & stellas. Hæc sanè ille in Ægypto didicit; & scriptis ejusmodi in creatione mundi delectatus, ut Vulcanus in Achillis clypeò, veluti imaginem qvandam mundi creationis exprimeret, instituit. Sic n. scripsit: Hic cœlum effinxit, terram, pelagusq; profundum. &c.*

Deinde ut Paradisi effigiem Alcinoi horti conservarent, fecit semper illum florentem, & frugum ubertate scatentem, per imaginem proponens atq; ita canens:

Fructus proveniunt ampli felicibus hortis &c.

Carmina hæc annon claram & apertam à principe Propheta Mose de Paradiso, dictorum verborum referunt imitationem.

§. 4. Porrò opinatur Poëtam ædificationem turris Babylonicæ per allegoriam expressisse in Oto & Ephialte his versibus:

Qvi bello conferre pedem cœlestibus oris
Ipsis cum divis ausu voluere minaci:
Suntq; adeò conati Ossan superaddere Olympo
Pelion atq; Ossæ, ascensum sibi ad astra parantes.

Dæmonis tandem de cœlo lapsum per Aten, ie: noxam ex actionibus pessimis cognominatam adumbrasse, *perinde atq; verborum ab Esaia vate de illo dictorum probè meminisset,* qvando ita:

Accipit iratus crinito vertice Noxam,
Et jusjurandum verbis solennibus addit
Stellantes nunqvam venturam postea ad oras

 Noxam

Noxam, qvæ soleat cunctis simul una voce nocere.
Dixit; & involvens dextra dejecit Olympo;
Illa cadens mox tellurem pervenit ad imam.

Hactenus sanctissimus Martyr. Cujus tamen opinioni, ut ut acutæ & speciosæ nemo temerè accedet & assentietur, cùm attenderit, qvàm vehementer temporum ratio adversetur. Cum n. Homerum longè post Trojæ eversionem, & qvidem nonnullorum calculo, circa tempora Davidis floruisse certum & exploratum sit; liqvidò elucescit, nullum Prophetarum sapientiâ magnum & spectatum præter Mosen eâ ætate extitisse, ex cujus scriptis hæc libare potuisset. Itàq; in rectiorem sententiam discesserit, qvi arbitrabitur, Homerum partim ex Mose, partim consvetudine & usu Ægyptiorum, qvi ex doctrina Mosis ejusmodi asservarunt, qvædam percepisse; qvæ postmodum sub fabularum velaminibus exprimere & adumbrare satregit.

§. 6. Suppar ætati Homeri est, & laude hac celebrandus qvoq; Lacedæmoniorum legislator, *Lycurgus*, qvi gentium mores & instituta cogniturus Cretam, Asiamq; pervagatus est; pòst Ægyptiorum disciplinis & artibus excultus, multisq; ab iisdem petitis legibus, rempublicam condidit. Qvâ de re diligentissimus scriptor Plutarhus, Tom. I. in vita ejus p. 42. cujus verba, cum prolixiora sint, ex versione Xylandri Latinè addere placet: *Profectus & delatus est primum in Cretam. Cretensium institutis cognitis, qvum usus esset consvetudine dignitate præstantiorum, leges qvasdam eorum approbavit & accepit, domum eas ad utendum deportaturus, qvasdam etiam respuit.* Et paulo post, *Ex Creta transmisit Lycurgus in Asiam, eâ mente (ut fertur) qvò cum Cretica vita, tenui & austera luxum & delicias componeret Ionicas; sicut medicus marcida & ægra corpora cum salubribus, discrimenq; dispiceret morum atq; institutorum publicorum. Ægyptii item apud se arbitrantur Lycurgum fuisse, bellatoresq; à reliqvis corporibus diremptos inprimis probasse, ac traduxisse, eum morem Lacedæmonem, segregatisq; illiberalibus & sordidioribus operariis planè elegantem & nitidam rempubl. instituisse. In hisce adstipulantur nonnulli Græci scriptores Ægyptiis.* Qvod ipsum Ægyptii apud Diodorum Siculum. l. c. 98. firmant Λυκοῦργον καὶ Πλάτωνα καὶ Σόλωνα πολλὰ τῶν ἐξ Αἰγύπτου νομίμων εἰς τὰς ἑαυτῶν

κατα-

καταμίξαι νομοθεσίας, Lycurgum, Minonem atq; Solonem multas ab Ægyptiis leges mutuatos in respublicas suas recepisse.

§, 7. Porrò memorari debet *Thales Milesius*, qvô nemo ætate sua ex septem Græciæ sapientibus major vel clarior fuit, qvippe qvi primus naturæ abdita rimari, orbiumq; cœlestium motus indagare studuit. Etenim Suida teste in voce Θαλῆς: *primus nomen sapientis habuit, & primus animam dixit immortalem, & ecclipses & æqvinoctia deprehendit.* Consentit Strabo, qvi Thaletem principem Græcorum indagationem causarum naturalium & mathematicarum rerum instituisse affirmat XIV. Geograph. p. 635. In ÆgyptoGeometriam edoctum fuisse tradit Laërtius I. in vita ejus. *Ab Ægyptiis* inqviens, *præcepta Geometriæ eruditum, primum descripsisse circuli triangulum rectis lateribus & immolasse bovem refert Pamphilo.* Ibi qvoq; cum sacerdotibus, ut Astronomia instrueretur, conversatum fuisse ipse innuit epistola ad Pherecydem apud Laertium l. c. *Ægyptum penetravimus, ut illic sacerdotibus & Astronomis congrederemur.* Adde, qvod Eusebius pronunciat X. de præparat. Evang. c. 2. *Pherecydem Syrium, Pythagoram & Thaletem, qvi de cœlestibus & divinis primi Græci pauca scripserunt, ab Ægyptiis & Chaldæis cuncta didicisse.*

§. 7. Advertit nos deinceps celebris legum Atticarum fundator *Solon*, qvi itidem sacerdotes Ægyptios magistros doctrinæ habuit. Etenim cum Psenophe Heliopolita & Sonche Saita, tum inter sacerdotes præstantissimis, aliqvantisper in contemplanda egit sapientia; inde in Cyprum navigavit, ubi summa gratiâ apud qvendam illius regionis regem floruit; ut pluribus commemorat Plutarchus in vita ejus Tom. I. p. 926. Illâ v. ætate in Ægypto commoratum fuisse patet, cum Judæi illam freqventes incolerent, ut ex Platonis Timæo observat Eusebius X. præp. Evang. c. 2. *Qvò qvidem in libro* pergit autor Plato, *doceri cum à barbaro videmus his verbis, ô Solon Solon Græci semper pueri estis, senex a. nullus unqvam Græcorum fuit, ac ideo apud vos nulla disciplina vetus inveniri potest.*

§. 8, Progredimur ad *Anaxagoram Clazomenium*, qvi Scholam & philosophiam naturalem ex Ionia primus Athenas traduxit, teste Laerito II. & Clem. Alex. I. Stromat. Et hunc qvandam de DEo notitiam ab Hebræis & Ægyptiis, ad qvos studiorum causâ pro-

profectus erat, accepisse memorant. Theodoretus II. de curat. Græc. affect: *Profectus in Ægyptum, & cum Ægyptiorum Hebræorumqve sapientibus versatus, à qvibus & Dei cognitionem adeptus esset, eumqve ænigmata qvædam de DEo ab Ægyptiis Hebræisq; collegisse. Item: à Mose qvædam veritatis lumina, qvædam initia desumpsisse.*

§. 9. Aggregandus huic est *Pherecydes Syrius*, Pythagoræ præceptor, & in numerum septem sapientum relatus, qvi itidem amore investigandæ sapientiæ attractus Chaldæis & Ægyptiis operam dedit. Josephus I. contra Appion. Ἀλλὰ μὴν, καὶ τοὺς περὶ τῶν οὐρανίων τε καὶ θείων πρώτους παρ᾽ Ἕλλησι φιλοσοφήσαντας, οἷον Φερεκύδην τε τὸν Σύριον, καὶ Πυθαγόραν πάντες συμφώνως ὁμολογοῦσιν Αἰγυπτίων καὶ Χαλδαίων γενομένους μαθητάς i. e, ex interpretatione Sigismundi Gelenii: *Sed & qvi cœlestibus ac divinis primi apud Græcos sunt Philosophati, ut sunt Pherecydes Syrius & Pythagoras, omnes concorditer confitentur, Ægyptiorum & Chaldæorum fuisse discipulos,*

§. 10. Venimus ad *Democritum Abderitam*, virtutis ac philosophiæ gratia ante alios venerandum, ut ait Gellius V. Noct. Att. c. 3. qvi octginta annos studio sapientiæ se peregrè abfuisse innuit apud Clementem Alex. 1. Stromat. p. 304. ed. Paris. ubi de se ita: *Ego vero multò plures, qvàm ceteri homines, qvi modò sunt, regiones peragravi, multas urbes vidi, sapientes verò audivi, nec qvisqvam me in demonstratione linearum superare potuit, ne ipsi qvidem qvi Arsepedonapta appellantur. Octoginta enim annos longè à patria disciplinarum amore absui.* In Ægypto qvinqvennium hæsisse, magnamqve Astrologiæ scientiam comparasse, tradunt Ægyptii apud Diodorum Siculum I. biblioth. p. 88. Narrat porrò ex Demetrio & Antisthene Laertius IX. in vita ejus, à sacerdotibus Ægyptiis Geometriam didicisse. Alias gentes adiisse, à qvibus sapientiam hauriret, annotavit Suidas in voce Δημόκριτος Tom. I. ed. Port. *Abderites* inqviens, *ex Thracia Philosophus, discipulus* [*ut qvidam ajunt*] *Anaxagoræ & Leucippi. Qvin etiam,* [*ut qvidam scribunt*] *Magorum & Chaldæorum & Persarum. Ivit enim & ad Persas, & Indos & Ægyptios, & singularum harum gentium sapientiam*

tiam

tiam dicit. Idem Heychius Illustrius tradit de philosophis p. 21. sub fin.

§. 11. His subjungimus divinum senem, *Hippocratem Coum*, qvi primus medendi disciplinæ lucem & dignitatem addidit, atq; ad certa artis præcepta revocavit. Multas verò illum discendi studio adiisse terras, rerumqve experimentis incubuisse, luculenti scriptores prodiderunt. Soranus Ephesius in vita ejus: τῶν γονέων αὐτοῦ τελευτησάντων μετέστη τῆς ἰδίας πατρίδος, ὡς μὲν κακοήθως Ἀνδρέας φησὶν ἐν τῷ περὶ τῆς ἰατρικῆς γενεαλογίας, διὰ τὸ ἐμπρῆσαι ἐν Κνίδῳ γραμματοφυλακεῖον. Ἄλλοι δέ φασιν, ὅτι προθέσει τοῦ τὰ κατὰ τόπους ἀποτελέσματα θεάσασθαι, καὶ συγγυμνασθῆναι ποικιλώτερον i.e, *functis vita parentibus ex patria discessit, ut qvidem malignè de eo Andreas, in eo, qvem de Medicinæ origine scripsit libro, prodit, propterea, qvod publicam Cnidiorum bibliothecam igne concremasset. Alii autem eô proposito eum patriam reliqvisse dicunt, ut rei medicæ effectus & successum per multa loca cognosceret, & in his variis modis exercitaretur.* Consentit Isidorus Hispalensis IV. origin. Ut omittam afferre, qvod inter alias causas, cur in imaginibus magni senis caput involutum conspiciatur, hanc assignat Suidas in voce Ἱπποκράτης: διὰ τὸ φιλαπόδημον, *propter peregrinandi studium, qvô flagrabat.*

§. 12. Digredimur ad *Pythagoram Samium*, admirandi ingenii virum, qvem qvasi magistrum suum philosophia ipsa suscepit, ut loqvitur Salvianus, episcopus Massiliensis I. de gubernat. De i. Hic n. plures, qvàm qvisqvam alius, terrarum oras circumivit, ut disciplinarum scientiam complecteretur. Et primum qvidem Ægyptios accessit, ut ejus gentis instituta & artes capesseret. Anteqvam verò in adyta Sacerdotum intromitteretur, ceremoniis solennibus initiatus est & circumcisus. Clemens Alexandr. I. Stromat. p. 302. ὁ Πυθαγόρας περιετέμνετο, ἵνα δὴ καὶ εἰς τὰ ἄδυτα κατελθὼν τὴν μυστικὴν παρ' Αἰγυπτίων ἐκμάθοι φιλοσοφίαν: *Pythagoras circumcidebatur, ut ingredi adyta, & ab Ægyptiis mysticam philosophiam discere posset.* Hanc enim Ægyptiorum sacerdotum consvetudinè fuisse innuit Chæremon adud Porphyrium, IV. de abstinent. animal. p. 149. Αγνεύσαντες γὰρ ἰδεῖ προσιέναι, καὶ πολλῶν ἀποσχομένους. Καὶ τοῦτο, ὥσπερ κοινὸς τῶν κατ' Αἴγυπτον ἱερέων θεσμός ἐστιν.

 Qvi

Qvi enim illos accedebant, oportuit se prius purgare, & à multis abstinere, pro recepto apud Ægyptios sacerdotes more. Ibi vero institutione & doctrina Archisacerdotis usum, discimus ex Clemente Alex. I. Stromat. ubi ait: *Pythagoram fuisse discipulum Sonchedis, Archiprophetæ Ægyptii.* Ab aliis verò Mathematicis disciplinis, Geometria inprimis & Astronomia imbutum fuisse, apparet ex Porphyrio de vitâ Pythagoræ p. 182. cujus verba, prout Latinè reddita sunt à Cl. Holstenio, adducemus: *de doctrina* inqvit, *ejus vulgò tradunt, ipsum mathematicas, qvas vocant, scientias ab Ægyptiis, Chaldæisq́, & Phœnicibus didicisse. Geometriæ enim ab antiqvis usqve temporibus, studiosissimos fuisse Ægyptios, numerorum & proportionum Phœnices, Astronomiæ autem motuumq́ cœlestium Chaldæos.* De Pythagora verò clarius exponit Jamblichus in vita ejus c. 4. *annos viginti duos in Ægypti sacrariis & arcanis, remotisq́ templis versatus est, Astronomiæ & Geometriæ operam dans, cunctisq́ sacris initiatus haut temere qvasi saltuatim.* Fortè huc spectant, qvæ tradit Velerius Maximus VIII. 7. *Pythagoram literis gentis* [Ægyptiacæ] *asvefactum innumerabilium seculorum observationes cognovisse.*

§. 13. Porrò in Ægypto, eodem teste Porphyrio l. c. περὶ θεῶν πλεόν τι ἔμαθεν *de Diis accuratiorem perfectioremq́ qvandam doctrinam hausit.* Qvam tamen à Magis, cum Babylone degeret, accepisse contendit Jamblichus l. c. c. 4. *Atq́, ibi,* inqviens, (Babylone) *cum Magis sui studiosis & benevolis conversatus est, & in ipsorum mysteriis eruditus fuit, eaq́ qvæ veneranda erant, & ad religionem cultumq́ numinis pertinebant, exactissimè didicit.* Ab Ægyptiis deniqve hausit triplicem scribendi modum, communem, hieroglyphicum & symbolicum, ut testatur idem Porphyrius l. c.

§. 14. Ægypto Babylonem progressus Chaldæis operam impendit, à qvibus exactiorem siderum cognitionem percepit. Laude n. Astronomiæ præ cæteris gentibus floruerunt, qvippe qvi in patentibus campis primi stellas observarunt, teste præter alios Gellio IV. Noct. Att. I. Et de Pythagora consentit nobiscum Justinus XX. IV. *Ægyptum*, inqviens, *primò, mox Babyloniam ad perdiscendos siderum motus, originemq́ mundi spectandam profectus, summā scientiam consecutus erat.* Babylone inter ceteros Zabratum audivit, à qvo de

rerum

rerum natura & principiis universi nonnulla cognovit. Porphyrius l. c. *Babylone cùm aliis Chaldæis vixit, tum Zabratum freqventabat, cujus ope à prioris vitæ sordibus expurgatus fuit, & qvibus rebus homini serio adstinendum didicit, tum de rerum natura & principiis universi docentem audivit. Nam ex peregrinatione ad hasce gentes Pythagoras potissimam sapientiæ partem acqvisivit.*

§. 15. Transimus ad Judæos, qvorum conversatione qvoq; usus est. Ab iis somniorum interpretationem addidicisse, cognoscimus ex Porphyrio, qvi hæc ex Diogene de incredibilibus ultra Thulen memorat l. c. *Ægyptios qvoq; & Arabes, Chaldæos & Hebræos accessit; apud qvos & somniorum interpretandorum scientiæ accuratissimè operam dedit.* Plura insuper ab illis desumta in dogmata sua transtulisse, expresse pronunciat Clemens Alexandr. I. Strom. p. 342. Πυθαγόρας πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετενέγκας εἰς τὴν ἑαυτοῦ δογματοποιΐαν. *Pythagoras multa, qvæ sunt à nobis recepta, in suæ sectæ dogmata transtulit.* Qvod castitatem inprimis Mosis æmulatus sit adstruere conatur Constantinus M. sermon imperial. apud Jo. Langium not. ad Justin: Martyr. p. 49. *Tantum certè sapientia mortales ante se omnes Moses anteiit, ut qvi è gentilibus laudantur, seu sapientes seu sapientiæ amantes, sapientim illius sint æmulati. Pythagoras namqve sapientiam viri imitatus, in tantum castitatis laude celebratur, ut castissimo* Platoni *continentiæ exemplum fuerit.*

§. 16. Progrediendum ad Magos à qvibus uberiorem, qvæ ad sacra cultumqve divinum pertinent, notitiam, ceteraqve vitæ instituta percepisse idem testatur Porphyrius l. c. p. 182. Præcipuè a. scientia astrorum ab iisdem informatus fuit, qvod comprobat Valerius maximus l. c. *Ad Persas perfectus, Magorum exactissimæ prudentiæ se formandum tradidit, à qvibus siderum motus, cursusqve stellarum, & unicujusqve vim, proprietatem & effectum benignissimè demonstratum docili animo hausit.* In Musices v. & Arithmetices cognitione ad culmen adscendisse reperimus. Jamblichus l. c. c. 4. *In arte numerandi & Musica reliqvisqve disciplinis apud illos ad fastigium pervenit, alios præterea duodecim annos cum illis versatus.*

§. 17. Postea Cretam & Lacedæmona cognoscendis legibus Minois & Lycurgi petiit. Justinus l. c. *Inde regressus, Cretam &*

Lacedæmona ad cognoſcendas Minois & Lycurgi inclytas eâ tempeſtate leges contenderat. Aſſentit Valerius Maximus l. c. *Cretam deinde & Lacedæmona navigavit, qvorum legibus & moribus inſpectis ad Olympium certamen deſcendit.* Qvin & Brachmanas Indorum Philoſophos adiiſſe apparet. Euſebius X. de præparat. Evang. c. 2. *Pythagoras non ſolum Pherecydem Syrium, ſed etiam Perſarum magos & Ægyptios audivit, eô tempore, qvò Judæorum alii Babylonem, alii in Ægyptum transmigrarunt. Audivit etiam Brachmanas, Indorum philoſophos. Sic ab aliis Aſtrologiam, ab aliis Geometriam, ab aliis Muſicam, ab aliis Arithmeticam, & aliud ab aliis habuit.*

§. 18. Nec prætereundus eſt antiqviſſimus, qvi ſuperſunt, nobiliſſimusqve hiſtoricorum, Græcarum & barbararum originum ſcrinium, cenſente maximo viro, Jos. Scaligero animadvers. Chron. Euſeb. p. 97. *Herodotus Halicarnaſſenſis*, dulcedine & ſvavitate orationis, rerumqve antiqvitate cunctos Græcæ & Romanæ hiſtoriæ ſcriptores poſt ſe relinqvens. In Ægypto verò illum egiſſe, ſacerdotumqve conſvetudine & familiaritate uſum fuiſſe, non pauca exſtant veſtigia & notæ. Sic in Euterpe ſeu libro II. p. 101. certamen Ægyptiorum & Phrygum, qvô utramqve gentem de prærogativa antiqvitatis commiſſam fuiſſe conſtat, à ſacerdotibus Memphiticis ſibi relatum tradit. Verba ejus ſunt: Οὕτω συνεχώρησαν Αἰγύπτιοι, καὶ τοιούτῳ σταθμησάμενοι πρήγματι, τοὺς Φρύγας πρεσβυτέρους εἶναι ἑωυτῶν. ὧδε μὲν γενέσθαι τῶν ἱερέων τοῦ Ἡφαίστου ἐν Μέμφι ἤκουον. *Tali negotio argumentati Phryges ſe priores extitiſſe Ægyptiis conceſſerunt. Qvod ita actum eſſe, eqvidem ex ſacerdotibus Vulcani, qvi ſunt Memphi, audiebam.* Et Paulò poſt: *Alia qvoqve apud Memphim audivi ex Vulcani ſacerdotibus, cum qvibus in colloqvium veni. Qvin etiam harum ipſarum rerum gratia & Thebas & Heliopolin i. e, ſolis urbem me contuli, animo cognoſcendi, nunqvid conſentanea dicturi eſſent iis, qvæ Memphi dicerentur. Nam Heliopolitani feruntur eſſe Ægyptiorum ſolertiſſimi.* Ut cetera teſtimonia ſileamus.

§. 19. Cum hoc induſtriæ & ſtudii laude contendit graviſſimus ſcriptor, *Polybius*, prudentia civili æqvè ac militari nulli ſcriptorum poſtponendus, qvippe qvi multum præſidii & opis ad concinna-

cinnandam rerum gestarum memoriam contulit. Ut enim integriori fide acta commemoraret & æternitati daret, ipsas oras & regiones invisere & contemplari instituit. Ita de eo Isaacus Casaubonus, cui non modò Polybius, sed & interiora literarum studia æternùm debebunt, dedicatione ejus oppidò insigni, saluberrimæq; frugis plenissima ad Henricum IV. Galliarum regem Tom. II. ed. Gronov. hæc præclara refert: *In remotissimas oras peregrinatione ob id ipsum suscepta, Asiam, Africam lustravit, Atlanticum qvoqve Oceanum navigavit, ut de Hannibalis itinere sibi comperta narraret; Galliam & Alpes vidit, ut de Scipionis rebus in Hispania gestis digna fide proderet; Carthaginem novam adiit, loca singula cum curâ conspexit. Hispaniæ pleraqve oculis usurpavit. Qvin & lingvam Romanam Polybius didicit, atqve antiqvissima monumenta, qvæ vix pauci è Romanis civibus intelligebant, è Capitolina æde, ut promere sibi liceret, impetrato, in sermonem Græcum transtulit &c.*

§. 20. Excipit hunc philosophorum antesignanus, *Plato Atheniensis*, qvi cum immensô discendi ardore flagraret, præclarum sibi duxit, ubicunqve locorum cognoscere qvicqvam & haurire posset. Itaqve primum in Italiam delatus est, qvòd sapientiæ studia ibi vigere acceperat, & Pythagoræos sectatus est. Laërtius III. in vitâ ejus: *Cyrenen profectus Theodorum Mathematicum audivit, atqve inde in Italiam ad Pythagoricos, Philolaum atqve Eurytum concessit.* A qvibus philosophia contemplativa & naturali imbutus est: ut testatur incertus autor de vita Pythagoræ apud Photium in in bibliotheca cod. CCLIX. f. 1314. ed. Schotti.

§. 21. Pòst Ægyptum adiit, & cum Sacerdotibus congressus per tredecim annos eruditionis adipiscendæ studio ibi hæsit. Strabo XVI. Geograph. *Ostendebantur ibi* [Heliopoli] *Sacerdotum ædes & domicilia, in qvibus Eudoxus & Plato egerat. Etenim Eudoxus cum Platone eò profectus & ambo cum Sacerdotibus annos tredecim sunt versati, ut nonnulli tradiderunt.* Qvod ipsum comprobat ex testimonio Platonis Clemens Alex. I. Stromat. p. 302. *Plato*, inqviens, *non inficiatur, se ea, qvæ sunt præstantissima in philosophia mercatum esse à barbaris, & se fatetur venisse in Ægyptum.* Ab iisdem vero Astronomiâ & Geometria excultus fuit. Tullius de finibus: *Plato Ægyptum peragravit, ut à Sacerdotibus numeros & cæ-*

& cœlestia acciperet. Valerius Maximus VIII. VII. *Plato Ægyptum peragravit, dum à sacerdotibus ejus gentis Geometriæ multiplices numeros & cœlestium observationum rationem percipit. Qvoq; tempore à studiosis juvenibus certatim Athenæ Platonem doctorem qværentibus petebantur, ipsi Nili fluminis inexplicabiles ripas, effusam barbariem, & flexuosos fossarum ambitus Ægyptiorum senum discipulus lustrabat.*

§. 21. Porrò à Babyloniis Astronomiam, rectas incantationes à Thracibus, à Judæis veras de DEO opiniones hausisse existimatur. Clemens Alex. Protreptico p. 46. *novi tuos* (Plato) *magistros, & si eos celare velis. Geometriam discis ab Ægyptiis: Astronomiam à Babyloniis, rectas & sanas incantationes accipis à Thracibus. Multa etiam Assyrii te docuerunt. Leges a. qvæcunq; veræ sunt, & de DEO opinio suppeditata tibi sunt ab Hebræis.*

§. 22. Observandum hic, non paucis veterum fuisse persvasum, Platonem, dum cum Judæis egit in Ægypto, multa ab illis percepisse, qvin & sacraria Mosaica inspexisse. Multi enim ex antiqvis præcipuè Ecclesiæ doctoribus tantoperè admirabantur & & suspiciebant Platonem, ut nullum philosopham magis ad religionem christianam, qvàm Platonis accedere, arbitrarentur. Cui sententiæ tam firmiter institisse perspicimus, ut in paucis Platonem à doctrina Mosaica abire & diffidere judicaverint, qvippe qvem pleraqve ab illo mutuò accepta in forum suum transtulisse constaret. Audiamus nonnullos. Josephus II. contra Appion. p. 1079. Platonem in constituenda republ. Mosis vestigia pressisse asseverat, qvod Homerum honorificè coronatum, ungventisqve delibutum è republ. summoverit, ne opinionem rectam de Deo fabulis fortè destrueret. Ita enim loqvitur: Μάλιςα μεμίμηται τὸν ἡμέτερον νομοθέτην, *præcipuè Plato nostrum legislatorem imitatus est, hoc qvod; illud præcipuè suis civibus imperavit, ut omnes perfectè discerent leges, & ne fortuitò aliqvid extraneorum civibus misceretur, sed esset pura respubl. & in legum custodia perduraret.* Cognitionem veri Dei, ex libris Mosaicis hausisse existimat Justinus Martyr orat. ad gentil. p. 55. *Pythagoras & Plato & nonnulli alii, qvi Ægyptum adierunt, Mosæ libris adjuti sunt, & postea eis, qvæ ante hac falsò de Diis censuerant, contraria docuerunt.* Cui oppidò consonat,

qvod

qvod B. Ambrosius ait Sermon. XIIX. in 118. Psalm. Eruditionis gratia profectus Plato in Ægyptum, ut Mosis gesta, legis oracula & prophetarum dicta cognosceret. Et ex Aristobolo refert Eusebius IX. de præparat. Evang. c. III. hæc. *Legem nostram in multis Plato secutus est: Apertè namqve in multis diligenter examinasse singula videtur. Mosaita enim volumina ante Alexandrum & ante Persarum imperium traducta fuerant, unde plurima, sicut & Pythagoras, philosophus ille accepit.* Qvin eò studii & affectus procedere videmus B. Augustinum, ut pronunciare non dubitet de vera relig. c. 4. *Platonicos paucis mutatis christianos fieri.* Ex qvâ opinione natales suos & incunabula arcessere videtur, qvod Numenius, philosophus Pythagoræus, Platonem appellarit Mosen Atticissantem, qvod multa ex fontibus Mosaicis, qvibus velut agros suos irrigavit, compilârit; De qva re videatur Hesychius L. de philosophis p. 50.

§. 23. Sed qvamvis fortasse vitio verti non debeat sanctissimis Ecclesiæ antistitibus, qvod religionem Christianam ab insultu gentilium, inprimis Græcorum asserere, fastumq; eorum & tumorem reprimere conati sunt, qvi laudem sapientiæ sibi deberi ambitiosè crepabant, & christianos incessebant, qvod artium & disciplinarum scientiam à paganis arcesserent; probatumq; ire studuerunt, diu apud alias gentes sapientiam floruisse, ad Græcos dein translatam; dissimulandum tamen non est, dum veteres philosophos, Pythagoram præcipuè & Platonem, tanti fecerunt, plurimaq; ex scriptis Mosaicis & Prophetarum delibasse propugnarunt, multa incommoda, multas hæreses in Ecclesia productas esse; ita, ut cognitum postea fuerit, *hanc Theologica studia tractandi rationem ad nihil magis profuisse, qvàm ut ex gentilibus fierent semichristiani, & ex Christianis semigentiles, novæq; subinde ac novæ hæreses ad imbrem Platonicum felicius progerminarent*; ut sapienter advertit flos egregiorum virorum, cui, qvantum hæ literæ debeant, nemo, nisi à venustiori doctrina alienus, ignorat, Jacobus Thomasius, schediasm. hist. p. 46. Sicuti & memini pluribus hæc de re svavissimi ingenii virum, inq; elegantiori historia non vulgariter exercitatum, *Joachimum Fellerum*, mecum aliqvando dissertasse. Qvi & librum hac de re affectum se habere significavit, iu qvo copiosiùs hoc argumentum persecutus

cutus esset; qvem, ut propediem lucem adspicere jubeat, publicò literarum nomine rogamus.

§. 24. Platoni addendus est *Eudoxus Gnidius*, Geometra & Astrologus insignis, qvi cum illo in Ægypto disciplinis Mathematicis incubuit, & consvetudine sacerdotum usus est. Cujus rei locuples testis & Strabo XVII. p. 806. *Eudoxus cum Platone in Ægyptum profectus à sacerdotibus didicit diei ac noctis particulas supra 365. dies ad ann. complementum excurrentes. Tamdiu apud Græcos ignorabatur annus ut & alia permulta.* Corroborant hoc etiam ex tabulis suis Ægyptii apud Diodorum Siculum I. p. 88. his verbis. *Eudoxum, cum Astrologiæ istic operam dedisset, multis utilibus monumentis editis, magnam nominis celebritatem adeptum.*

§. 25. Dispiciendum nunc examinandumq; est, utrum *Aristoteles* collocupletandæ doctrinæ causâ, qvod cæteros philosophos fecisse vidimus, peregrinatus sit. In qva qvidem re autores distrahi ac collidi invicem animadvertimus. Non n. desunt, qvi philosophum cum Alexandro M. Asiam penetrasse affirment. Ita autor vitæ ejus, sive is sit Ammonius, ut nonnullis creditum, seu, qvod alii existimant, Philoponus de illo prodidit, p. 7. ed. Nunnes. Ἐπανέρχεται αὖθις ὁ Ἀριστοτέλης ἐν Μακεδονίᾳ καὶ πολλὰ ἐδυνήθη παρὰ τοῖς τότε βασιλεῦσι παρά τε Ἀλεξάνδρῳ καὶ παρὰ τῇ Ὀλυμπιάδι, τῇ τούτου μητρὶ, καὶ παρ' Ἀντιπάτρῳ τε καὶ Φιλίππῳ. Ἀμέλει καὶ συνώδευσεν αὐτῷ μέχρι καὶ ἔσω τῶν Βραχμάνων, ἔνθ, ἐποίει τὰς διακοσίας πεντηκοντάπεντε πολιτείας; συνώδευσε δ' αὐτῷ καὶ ἐν τῇ Περσίδι. *Aristoteles secundò in Macedoniam venit, magnaqve fuit apud reges Macedoniæ autoritate, Alexandrum, matremqve ejus Olympiadem, nec non Antipatrum Philippumq;. Sanè etiam in expeditione, illa Asiatica ad Brachmannas usq; comitatus est apud qvos nobile illud opus de legibus & institutis civitatum CCLX. construxit. Persidem etiam cum Alexandro peragravit.* Cum Judæis etiam conversatum fuisse, jactatum olim fuit. Clem. Alex. I. Stromat. p. 304. refert: Κλέαρχος ὁ περιπατητικὸς εἰδέναι φησί τινα τὸν Ἰουδαῖον, ὃς Ἀριστοτέλει συνεγένετο: *Clearchus Peripateticus Judæum se novisse dicit, qvi cum Aristotele fuerit conversatus.* Sed ab hac sententia, si placet, abire nobis liceat, cum nulla idonea ratio adsit, qvæ, ut pollicem illi premamus, nos adigat. Tantum n. abest, ut

alii

alii autoritate & fide præstantissimi scriptores, qvi de vita rebusqve Aristotelis commentati sunt, hujus rei faciant mentionem, ut potius Philosophum, cum Alex. M. arma in Asiam expediret, erectô Athenis ludo, studia sapientiæ professum asseverent. Postqvam v. fraude & insidiis Atheniensium, qvòd πολιϑεότητα destrueret & exturbaret, se appeti conspiceret, Chalcidem, nobilem Eubeæ urbem, se contulit, è qva nunqvam reversum esse, rectè affirmat Petrus Joh. Nunnesius, animadv. ad Ammon. p. 95. qvi nec inficetè auguratur, multa verba in textum Ammonii Græcum irrepsisse, qvæ, si retineantur, fieri, ut autor falsitatis insimulari possit. Qvare & opinio illa, qvam Judæorum magistri imbibere, Aristotelem, cùm ab Alex. M. Hierosolymis expugnatis, thesauro librorum Salomonis præfectus esset, omne, qvicqvid in illis invenerit præclarum, suô ipsius nomine edidisse, admixtis saltem qvibusdam exitiosis opinionibus, v. g. de mundi æternitate; qvàm futilis, putida & commentitia sit, nemo non advertit. Qvas nænias proin jure proscripsit & destructum ivit doctrina morumq; integritate venerabilis & conspicuus vir, Joh. Benedictus Carpzovius, diatriba de sapientia Salomonis MDCLXXIII. edita. Ne dicam, qvòd Aristoteles, teste Simplicio, inter Græcos ejus interpretes non infimo, in II. Arist. de cœlo, Callistheni, auditori suo, Alexandrum M. in Asiam comitanti, hanc curam injunxerit, ut earum rerum, qvas Chaldæi in cœlestibus investigassent, monumenta conqvireret; qvi & bis mille annorum observationes ad illum misit.

§. 26. Ut adeò in mensâ solis expositum sit, si qvæ alii philosophi à divinis literis non omninò aliena tradiderunt, à gentibus, qvibuscum peregrinando commercium habuere, accepisse: Aristotelem v. cum nunqvam cum exteris egerit, ea tantum, qvæ recta ratio & notitia naturalis suggesserunt, exposuisse. Cui sententiæ albo suffragatur calculo, vir dignitate qvondam & eruditione illustris, Hugo Grotius, qvi hanc in rem graviter disputat I. de verit. relig. christ. *Si diligentius pensitentur omnium placita, in nullâ philosophia minus absurditatum invenietur, qvàm in Peripatetica, nec ullum magis cum christiana convenire. Siqvid egregium dixerunt Platonici & Stoici non tam ex naturali notitia id habuerunt, qvàm traditione, de suo*

multa addiderunt absurda & cum recta ratione pugnantia. Contrà Aristoteles intra terminos naturalis notitiæ se continens, nihil in philosophiam humanam admittendum censuit, quod probare humanis rationibus non posset. Itaq; ut revelatio divina perfectè ostendit, quæ sunt fidei, ita Aristoteles exactè ostendit, quousq; naturalis notitia progredi valeat.

§. 27. Seqvitur post *Crispus Salustius*, vel primus, ut poëta existimavit, in historia Romana, mirifica & vix imitabili, qvâ Thucydidem exprimere & æmulari studuit, brevitatis gratiâ & lepore res gestas Romanorum complexus. Qvantum a. in condenda historia operæ & laboris posuerit, satis perspicuum est, qvod in ipsam Africam, ut de bello, qvod cum Jugurtha, Numidarum rege Romani gesserunt, certiora traderet, trajecit. Joh. Philippus Paræus in vita ejus: *In descriptionibus mirè sagax deprehenditur. Cum descripturus esset bellum Jugurthinum, & terræ Africæ non usq; adeo esset gnarus, ex Italia in Africam migravit, ut tantò accuratius sibi cognita postmodum describeret.* Addatur Jo. Bodinus method. Histor. c. 4.

§. 28. Ordo nos deducit ad *Asclepiadem Prusiensem*, medicum ævo Pompej. M. clarum, qvem itidem in Ægypto Alexandriæ Medicinæ operatum fuisse; Suidas prodit voce Ἀσκληπιάδης. Tanta n. literarum artiumq; Medicinæ præprimis famâ, urbem hanc olim claruisse apparet, ut qvemlibet fermè illam studiorum causa colere vel saltem perlustrare, fuerit persvasum. Certè tam amplam gloriam conciliasse, qvi Medicinæ istic vacarunt, annotavit Ammianus Marcellinus XXII. *ut pro omni experimento suffecerit medico ad commendandam artis autoritatem, si Alexandriæ dixerit se esse eruditum.*

§. 29. Laudandus qvoqve est oratorum princeps, veterisq; philosophiæ studiosissimus vir, *Cicero*, qvi antiqvorum æmulatione accensus ad pleniorem percipiendum ingenii cultum, Græciam, tot illustrium animarum palæstram Asiamq; lustravit, ubi eloqventiæ, artiumq; præstantissimarum studiis dignè institutus fuit. Plutarchus in vita ejus: *Metu Syllæ in Græciam profectus est, vulgans ob corporis curam abire. Ut applicuit Athenas, Antiochum Ascalonitam audivit, volubilitate captus & venustate ejus orationis.* Pluribus interjectis. *In Asiam & Rhodum navigavit. In Asia Xenoclem Adramyttenum & Magnetem Dionysium & Menippum Carem audivit. Rhodi*

Rhodi Apollonium oratorem, Molonis filium, & philosophum Posidonium. Rhodi hæsisse indicat ipse in *Bruto*; ex cujus ultima parte autor de corruptæ eloqventiæ causis (qvem Qvintilianum esse non dubitare se, profitetur alicubi CL. Grævius) commemorat: *Illum non doctoribus contentum, qvorum ei copia in urbe contigerat, Achajam quoq; & Asiam peragrasse, ut omnem omnium artium varietatem complecteretur.*

§. 30. Hinc nobilis & luculentus scriptor, qvem incorruptum veritatis amorem professum, atq; ex Græcis primum nugari desiisse antiqvi existimarunt, *Diodorus Siculus* occurrit, cujus in credisibis cura & industria vehementer extollenda venit. In persequenda enim rerum toto orbe gestarum memoriâ ne minus cognita proderet, laboriosam profectionem adornavit, plurima ex parte Asiæ & Europæ lustratis & inspectis locis. Qvod ipsum testatur procem biblioth. histor. p. 4. *Triginta annos*, inqviens, *in hoc opus absumsimus. Multis n. difficultatibus ac periculis majorem Asiæ peragravimus, Europaq; partem; qvò majori, qvæ à nobis descripta sunt, ex parte locis inspectis, certa literis mandaremus. In multis n. locorum ignorantia errarunt non solum qvidam rudes scriptores, sed etiam docti.* Hoc iisdem propè verbis ex illo repetunt & adstruunt Photi9 in biblioth. cod. LXX. p. 103. nec non JustinusMartyr lorat. ad gent. p. 49.

§. 31. Subjungendus illi est judicio & fide præstans Historicus & Geographus, scientiaq; civili cum paucis componendus, *Strabo Amasenus*, ætate illa, qvâ Salvator, ut nostram hominum salutem assereret, dignatus est, celebris & clarus, qvem non paucas oras, qvò exactiùs memoriæ res gestas traderet, & locorum situs delinearet, obiisse, monumenta ejus abundè patefaciunt. Ægyptum perlustrasse memorat I. Geogr. p. 58. ubi per interpretem ita ait: *Nobis Alexandriæ, qvæ ad Ægyptum est, peregrinantibus, mare circa Pelusium & Casium montem elatum, terram inundavit.* Alias oras pererrâsse perhibet II p. 117. *Ex ponemus, tum qvæ ipsi obivimus terra mariq;, tum de qvibus aliorum sermonibus aut scriptis nobis fides est facta. Ipsi obivimus versus occasum ab Armenia usq; ad Etruriæ loca, Sardiniæ opposita: versus meridiem ab Euxino ponto usq; ad fines Æthiopiæ. Neq; n. reliqvorum, qvi situm terræ descripserunt, qvenqvam invenies, qvi dicta intervalla obeundo multò plura atq; nos præstiterit.*

§. 32. Vel maximè qvoqve huc pertineret *Apollonius Thyanaus*, nisi teterrimis potiùs præstigiatoribus & planis, qvàm cordatis & sapientibus viris adstruendus esset. Ut multam præteream, ex qvibus magica ejus scelera in apertum producere liceret, cum Cæsar Domitianus supplicio in illum animadvertere aggrederetur, repente in judicio disparuit, teste Lactantio V. de Justitia c. 3. Et Byzanti magnam serpentum & scorpionum vim præstigiis & incantamentis dæmoniacis fugavit; eqvosq; ferocissimos domuit, aliaq; prodigiosa fecit; ut est apud Nicephorum Callistum III. hist. Eccl. p. 161. Ejus tamen nomen celebre magnæq; venerationis olim fuit, adeò ut Alexandrus Severus eum in larario suo juxta Christum, Abrahamum & Orpheum posuerit, & pro DEO coluerit, narrante Lampridio in vita ejus. Qvin nonnulli ob prodigia Christo antetulerunt; de qvo Augustinus II. de C.D. c. 7. Hierocles v. Philosophus Stoicus, impio ausu inter eum & Christum collationem instituit, libro *Philalethes* inscripto; cujus tamen monstra & deliria octo libris profligavit Eusebius Cæsariensis. Multa v. terrarum loca pervasisse perhibet S. Hieronymus ep. ad Paulin. si vera sunt, qvæ ex Philostrato adducit: *Apollonius sive ille magus (ut vulgus loqvitur) sive philosophus (ut Pythagorici tradunt) intravit Persas, pertransivit Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit, & ad extremum latissimo Phison amne transmisso pervenit ad Brachmanas, ut Hiarcham in throno sedentem aureo, & de Tantali fonte potantem inter paucos discipulos de natura, de motibus siderum, & dierum cursu audiret docentem. Inde per Ælamitas, Babylonios, Medos, Assyrios, Parthos, Syrios, Phœnices, Arabes, Palæstinos, reversus Alexandriam, perrexit Æthiopiam, ut Gymnosophistas & famosissimam solis mensam videret in* Sabulo. *Invenit ille vir ubiq; qvod disceret, & semper proficiens semper se melior fieret. Scripsit super hoc octo voluminibus Philostratus.*

§. 33. Jam ad se nos vocat *Pausanias*, ætate Marci Antonini imperatoris celebris Historicus, qvi qvicqvid fermè de veteri Græcia memoria scituqve pulchrum atqve admirabile cognoscimus, singulari commentario persecutus est. Incredibili enim solertia & studio totam Græciam peragravit, memoriasqve, antiqvitates, monumenta excussit, indagavit, expositaqve posteris tradi-

dit.

dit. Ut libri ejus reconditâ abstrusissimarum rerum scientia referti, toti antiqvitati & Græcorum historiæ non parum luminis fænerentur. Cujus rei memoriam, primus, qvod scio, eruit, lucique reddidit vir summus, magnusqve ætate nostra artium vindex, Thomas Reinesius, in incomparabili inscriptionum opere (cujus promulsidem orbi exhibuit, utinam & totum nobilissimum opus, qvod pollicitus est, seculo commodet elegantis doctrinæ vir, omniumqve liberalium studiorum arbiter, Fredericus Benedictus Carpzovius) qvando ita loqvitur classe I. p. 1. *Pausanias, Cappadox Sophista, qvi universam Græcam peragravit, uniceqve huic rei studuit; ut situm urbium & locorum, antiqvitates Græcanicas, singularia cujusq; regionis, inprimis templa, delubra, simulacra, donaria coram inspecta [imperant Marco Augusto] annotaret.*

§. 34. Accenseri hinc debet egregius naturæ interpres, & post Hippocratem medicorum primipilus, *Claudius Galenus*, qvi ut herbarum & stirpium virtutes cognosceret, uberioremqve componendi medicamenta scientiam acqvireret, præcipuè, ut, qvæ didicerat, usu & experimentis comprobaret, variis itineribus multas perlustrasse oras memoratur. Observavit hoc de eo Andreas à Lacuna Segobiensis in vita ejus: fusiùs verò exposuit πλυμαθέστατος vir, Thomas Reinesius, in commentario posthumo de Chimiatria p. 8. cujus verba digna putamus, qvæ hic sistantur: *Exportandi opobalsami & bituminis Judaici conspiciendi gratia Palæstinam Syriæ itinere difficili adiit, videndi humani σκελετεύματος desiderio [ipse enim tum in simiis secandis tantum fuerat occupatus.] Alexandriam, ubi percelebre ab omni antiqvitate floruit medicinæ & Anatomices studium* Censorino & Ammiano Marcellino *testibus; ut qvæ de terra Lemnia, admixtoqve & caprino sagvine apud Dioscoridem legerat, & vulgò ferebantur, veræne essent, cognosceret, in Lemnum insulam; cadmiæ & pompholygis in usum civium suorum Pergamensium adducendæ ergò in Cyprum navigavit: Solâ res naturalis investigandi cupidine, Lyciam, Ciliciam, Phœniciam, Scyrum, Cretam, Ægyptum peragravit.*

§. 35. In classem horum referendus etiam est, *Clemens Alexandrinus*, Ecclesiæ, teste Hieronymo Catal. script. Eccles. Tom. I. p. 280. Alexandrinæ presbyter, & post Pantænum in schola Alexan-

xandrina κατηχήσεων magister, Severo & Antonino filio Cæsaribus clarus, qvique in philosophia, Pythagorica præcipuè & Platonica, egregiè fuit versatus. Qvanta enim is veneratione Platonem, & ob affine philosophandi genus, Pythagoram habuerit, scripta ejus passim loqvuntur, qvæ non laudibus modò, sed ipsis dogmatibus horum duumvirorum referta sunt; prout rectè judicat ὁ πάνυ Jac. Thomasius l. c. §.46. Peregrinandi verò studio qvantum deditus fuerit, qvasqve oras pererrarit, exposuit ipse I. Stromat. p. 247. ubi evolvatur. Qvod ejus testimonium confirmant Eusebius V. hist. Eccles. 11. & Nicephorus V. hist. c. 15.

§. 36. Dilabimur ad *Origenem Adamantium*, episcopum Alexandrinum, incredibilis industriæ & doctrinæ virum, qvippe in nullo non artium & disciplinarum genere apprimè exercitatum; qvem magno Ecclesiam Romanam invisendi desiderio arsisse, ex ipsiusmet verbis notum facit Eusebius VI. histor. Eccles. c. 11. *Zephyrino hisce temporibus Romanam gubernante Ecclesiam se profectum esse Romam ipsemet scribit, dicens: In votis cum habuissem Ecclesiam Romanorum antiqvissimam videre &c.* Cui fini autem iter ceperit, summatim complexus est Petrus Halloix, in eleganti commentario de vita Origenis c. 7. p. 21. *Ipsi maximè cordi erant inspectio & consideratio status Ecclesiarum, qvas pertransibat, communicatio cum earum antistitibus & presbyteris, exploratio doctrinæ, consvetudinum & traditionum à majoribus acceptarum disqvisitio; de hæresibus illic grassantibus, & earum autoribus, aut propugnatoribus pervestigatio, philosophorum deniqve & aliorum in qvalibet scientia liberali eminentium studiosa auditio. Nam pectus illud omnigenæ eruditionis ac sapientiæ avidissimum undeqvaqve bona ac salutaria sibi pabula perqvirebat, qvibus alta in mente repositis ac probè digestis, ad suum scribendi atqve ad alios derivandi institutum aliqvando uteretur &c.*

§. 37. Locum qvoqve hic vendicat, *Porphyrius*, maximis ingeniis jure accensendus, obqve mentis subtilitatem & acrimoniam inter Platonicos *philosophus*, cognominatus, teste Pico Mirandula VII. adv. Astrol. c. 4. qvam laudem tamen parùm abfuit, qvin sacerrimis scriptis, qvibus Christianos laceravit & oppugnatum ivit, planè extingveret. Admodum verò adolescens Alexan-

driam se contulit, ut Origeni, cujus domus eâ tempestate à studiosis hominibus velut sapientiæ sacrarium freqventabatur, in disciplinam se daret. Qvod ex Vincentio Lirinensi testatum facit vir celeberrimi nominis summæqve eruditionis, Lucas Holstenius, bibliothecæ Vaticanæ custos, in egregio libello de vita & scriptis Porphyrii p. 11. ubi ità loqvitur Vincentius: *De cujus* [Origenis] *incredibili qvadam scientia, si qvis referentibus nobis christianum non accipit testimonium, saltem testificantibus philosophis gentilem recipiat confessionem. Ait namqve impius ille Porphyrius excitum se fama ipsius Alexandriam ferè puerum perrexisse, ibiqve eum vidisse jam senem, sed planè talem tantumq; virum, qvi arcem totius scientiæ condidisset.* Postmodum celebritate Plotini, sub qvo philosophia Platonica excelsissimè iterum florere, & in pretio esse cæpit, adductus, Romam discessit, & philosophiæ Platonicæ per sex annos operam impendit, ipso attestante in vita Plotini, & firmante etiam Eunapio de vitis Sophistarum p. 17.

§. 36. Seqvitur hinc *Jamblichus Chalcedonensis*, itidem è familia Platonica non ignobilis philosophus, qvi Romam ad audiendum Porphyrium, magnâ doctrinæ famâ tum florentem, traductus est. Qvô & factum, ut non pauca à Porphyrio mutuata, scriptis suis inseruerit. Qvod liqvidò ex libro, qvem *de vita Pythagoræ* scripsit, ut alia prætermittam, constare potest. De qvibus aliisqve & plura & certiora traditurum passim in libris promisit, vir non Græcæ tantum, sed omnis eruditæ antiqvitatis peritissimus vir, Lucas Holstenius, qvi cuncta Jamblichi opera, atqve in his nonnulla inedita in publicum producere meditatus est. Qvæ destinata tamen mors doctissimi viri interscidisse videtur, nisi Anglia postliminiò afferat, qippe in qvâ insula cuncta philosophi opera luci adornari indicatum ivit summi ingenii vir, interiòrisq; doctrinæ princeps, Nicolaus Heinsius, literis ad V. C. Christianum Daumium M DC LXXVI. datis.

§. 37. Eadem laude memorandus qvoqve est, *Eunapius Sardianus*, imperante Theodosio præclarus Sophista & Historicus, sed veritatis fideiqve christianæ hostis, qvippe qvam passim in libro de *vitis Sophistarum* insectatur & lacessit. Adolescentem autem XVI. annum cupiditate discendi ex Asia in Europam trajecisse,

se, & Athenis Prohæresii, nobilis Sophistæ, palæstram freqventasse, ipsæ memoriæ mandavit in vita Prohæresii p. 102. ed. Jun. ubi & conferantur qvæ p. 126. scribit.

§. 138. Mentio qvoqve injicienda est *Alexandri Tralliani*, præstantis medici, qvi Justiniani M. ætate claruit. Et hic, ut est apud Petrum Castellanum in vitis illustrium Medicorum p. 133. ad discendum varias orbis partes peragravit instar Hippocratis, Italiam, Galliam, Hispaniam. Unde etiam diversarum gentium vocibus nonnuuqvam utitur, qvod insignem ejus diligentiam arguit.

§. 139. Associandus his est sanctissimus gravissimusqve inter Ecclesiæ doctores, *Hieronymus Stridonensis*, Presbyter, in qvo cum alia doctrinæ, qveis abundavit, ornamenta, tum vel maximè divitem scripturarum penum æstimamus. Ille vero hac in parte summorum, qvos recensuimus, virorum laudem æmulari statuit, & peregrinatione doctrinam adaugere sategit. De qva re Desiderius Erasmus in vita ejus. Tom. I. oper. præfixa ita loqvitur: In profanis literis, qvas qvidem seculares vocant, ad plenum eruditus, „ ad graviora studia jam adjiciens animum, hac etiam parte lauda- „ tissimos viros est imitatus, velut Pythagoram, Platonem, Apol- „ lonium, ut lustrandis regionibus sapientiæ supellectilem redderet „ auctiorem. Gallias undiqve sic lustravit, ut nonnullis locis „ habitasse videatur; adeò & locorum situm ac nomina tenet, & „ multorum sibi conciliavit amicitiam. Atqve in epistola qvadam „ ad Florentium testatur se Treviris ingens Hilarii volumen de „ Synodis suapte manu descripsisse, qvod aliqvando post jubet sibi „ remitti, jam in eremo, qvæ Syriam à Sacracenis dirimit, agens. „ Atq; hujus peregrinationis comitem habuit Bonosum, ut alibi de- „ clarat ipse. Ad hunc itaq; modū studiosè lustratis bibliothecis omni- „ bus, & congressus cum his, qvos vel eruditio, vel integritas morum „ reddiderat insignes, & undiqvaq; nonnihil decerpens, qvod ad christianum institutum facere videbatur. Tandem velut industrius & „ avidus negotiator non auro ditior, sed usu rerum literis ac pietatis „ ardore locupletior, utramq; revisit patriam, in qva natus fuerat, „ & eam, in qvâ renatus. Non multó post Bonosi secessum, & ipse „ Hieronymus conflato viatico, cumprimis a. locupletissima biblio- „ theca summô studio comparata, Syriam adiit, Heliodoro tum iti- „

neris

neris comite tum propositi consorte. Propemodum colligere licet, illos primum unà vidisse Hierosolymam, & lustratis sacris locis, Redemptoris adorasse vestigia. Erat a. id temporis urbis Hierosolymitanæ tanta apud omnes religio, ut parum pius sibi videretur, qvi Hierosolymis non fuisset. Hactenus Erasmus verè ἐράσμιος. Confer sis in hanc rem Gülielmum Eysengrein Catalogo test. verit, p. 28. b.

§. 40. Et hi fuerunt, qvos ex priscioribus obtutui lectoris sistere hic & subjicere licuit; non ignorans interim, plures in scenam produci potuisse, nisi cancelli limitesq; à nobis præscripti id invidissent. Transimus ad eos, qvi vel nostra vel patrum memoria ad laudes antiqvorum æqvis passibus contendere studuerunt. Nostra n. ætas ut virtutum, adeò sterilis non est, ita maxima qvoq; & excelsa produxit ingenia, qvibus meritò se efferre & jactare potest. Occurrit a. hic, *Nicolaus Clenardus*, superiori ævo lingvæ S. Lovanii professor, variarum lingvarum cognitione insignis, qvi teste Ludovico Qvicciardino descript. Belg. part. 2. p. 262. ut literas Arabicas, qvas in Hispania didicit, uberius posset percipere, in ipsam Africam, & celebrem ibi Fessam trajecit, anno circiter 1540. ubi ab ipso rege ob eximias suas virtutes in maximo habitus pretio, & benficiis multis affectus.

§. 41. Cum verò nunqvam non pulchrum & gloriosum statutum fuerit, viros magnos & excellentes vel vidisse, vel audivisse; jure adjũgi debet his ingenii festivitate carminumq; lepore ævo hoc clarissimus vir, *Fridericus Taubmannus*, qvi ut *Justum Lipsium & Josephum Scaligerum* tempestate nostra literarum & eruditionis Atlantes, cognosceret, iter in Belgium instituit. Cui non absimile institutum est, viri & poëtæ superioris seculi eximii, *Eobani Hessi*, qvi videndi *Desiderii Erasmi* causa itidem excurrit; memorante in vita ejus Melchiore Adami.

§. 42. His accedit ætatis nostræ Geographorum princeps, & ad ornanda studia natus, *Philippus Cluverius*, qvem, cum occulto naturæ impetu in studium Geographiæ propenderet, singulasq; orbis terrarum partes describere constituisset, multas regiones, Belgium, Hungariam, Bohemiam, Britanniam, Galliam, Germaniam, cum, nonnisi qvod oculis subjecisset, consignare cuperet, maximâ cum curâ perlustrâsse, singulaq; studiosè inqvisivisse; anotavit Pausanias ille Belgicus, Jo. Meursius II. Athen. Batav. p. 291. Italiam cum illustrare aggrederetur,

tur, pedibus illam peragrâsse, ut omnia accuratè & diligenter penetraret, memoriæ dedit vir summus, & studiorum amore olim Cluverio conjunctissimus, Daniel Heinsius, præfat. immortalis operis de *Italia antiqva* ad Serenissimam Rempubl. Venetam: Cum (*Italiam*) in „ qviens, magni homines utcunq; descripsissent, ac post eos autor noster accuratius delineâsset, eô animo ac generositate fuit, ut prius „ qvam vel opiniones suas vel errores ceterorum divulgaret, veritati „ prius ex adspectu serio litare vellet. Cui rei, cùm à liberalitate eo- „ rum, qvorum curæ Academia incumbit, otium ac commeatum impe- „ trâsset, ita totum pedes est emensus, oculis lustravit, longitudines „ locorum ac distantias exegit, veterem cum nova, hanc cum illa con- „ tulit, composuit, expendit, ut ubiq; è præsentibus antiqva, ea, qvæ „ non satis hodiè intelliguntur, ex antiqvitate illustret & qvod factum „ hactenus à nemine est, autores ipsos, qvos adducit, non è libris aut „ opinionibus, sed ad oculum emendet.

§. 43. Qvantis v. qvamq; variis incommodis ac difficultatibus in hac peregrinatione, uni literarum bono intentus & devotus, perfunctus sit, ipse professus est, & posteris transmisit epistola dedicatoria *Siciliæ antiqvæ* ad Nob. Acad. Leidensis curatores, ita sermocinans: „ Qvum nihil edere vellem, anteqvam ipsas terras perspexissem, du- „ biaq; loca oculis perlustrâssem, id qvoq; iter (*Academiæ Curatores*) „ publico juverunt viatico. Peregrinatio qvidem ea mihi annua, sed „ perqvam molesta, & supra qvam dici potest, ærumnosa; qvum sæpe „ corpus fami ac siti, pernoctationibusq; subdialibus, animus perpe- „ tuis terroribus, caput verò etiam vitæ periculo subjectum esset, qvæ „ tamen omnia Dei im̃ortalis omnipotenti virtute & largâ benignitate „ superavi. Præfatione ad Siculos similiter memorat: Terram Siciliam, „ omnium secundum Græciam terrarũ celebratissimam ego descripsi: „ homo exterus, in extremo ferè Septentrione apud Vistulæ ostia natꝰ, „ apud Rheni exitus eruditus atq; edoctꝰ eam scientiam, qvâ profiteor. „ Id ne miremini, usus in eâ re sum eadem ope, iisdemq; auxiliis, qvi- „ bus unis Siculus homo instrui poterat, nempe diligenti ac sollicita ve- „ terum autorum lectione: tum ipsa locorum sedula inspectione: in- „ sulam qvippe vestram, meo pede, uno comitante socio, obivi o- „ mnem, accuratè in singula inqvirens, oculisq; lustrans.

§. 44. Non minorem fermè operam & laborem insumsit in exci-

tan-

tanda literarum Orientalium cultura, vir excellens, *Thomas Erpenius*, lingvæ Arabicæ in Academia Lugduno-Batava Professor & interpres,

Qvi primum è tenebris Orientem adducere solem
In Batavos cœpit - - -

ceu meritò cecinit de illo poëtarum nostræ memoriæ princeps, Daniel Heinsius. Etenim ut literas Orientales capesseret, præter Galliam, Angliam, Germaniam, Italiam lustravit, ubi Venetiis teste Jo. Meursio l. c. p. 301. ex eruditis Judæis, Turcis, aliis didicit Turcicè, Persicè, Æthiopicè; pòst ex Africa, aliisq; terris Eois maximis periculis, nec minoribꝰ impensis insignem librorum Orientalium congessit supellectilem; qvā postea, viro optimo nimis citò bonis artibus ereptò, Academia Cantabrigiensis, auspiciis & liberalitate illustrissimi Buckhingamiæ ducis, Georgii Villerii, Academiæ tum Cancellarii, adscivit; annotante hæc summo viro, Gerardo Jo. Vossio dedicat. libr. de Hist. Lat.

§. 45. Hac famâ vel maximè floruit literatæ Germaniæ decus, *Joannes Veslingius*, eqves Saxo, in Academia Patavina Anatomices & Chirurgiæ Professor, hortiq; Medici præfectus, non solum medicarum rerum scientia, sed & in paucis doctrinæ elegantia & varietate clarus. Cum n. Patavii in florentissima Venetorum Academia per aliqvot annos Medicinæ invigilasset, pòst memorabili animi ardore in Ægyptum contendit, inde plures Orientis plagas, Hierosolymas, locaq; Christi natalibus & morte celebrata invisit, ut herbarum & stirpium exoticarum, Opobalsami inprimis, naturam ac vires inqvireret. Qva de re videatur par eruditorum insigne, Gabriel Naudæus ep. LXVII. p. 499. & p. 503. nec non Octavius Ferrarius, Prolusion. Academ. p. 305.

§. 46. Numerum deniq; claudit vir acris ingenii, & indefessus Orientalium literarum tempestate nostra vindex, *Christianus Ravius*, regius primum in Academia Upsaliensi Hebraicæ lingvæ, post Chilonii Holsatorum, Francofurti deniq; ad Viadrum itidem sanctæ lingvæ & Chronologiæ Biblicæ Professor, qvi mira lingvarum aviditate exardescens, multis Europæ & Asiæ regionibus perlustratis, plurimisqve barbarorum in Oriente bibliothecis excussis, ingentem librorum Orientalium vim secum attulit, inq; usum seculi protrahere molitus est. Qvod abundè declarat *Spolium* ejus *Orientis christiano orbi dicatum, sive Catalogus MSS. Orientalium in omni Scibili*, aliqvot ab hinc annis publicatus. Qvantum autem peregrinatione

 doctri-

doctinam locupletare annisus sit, loqvatur hic Marcus Rhodius, Juris in Academia Viadrina interpres, ejusdemqve tum Rector, dissertatione exeqviis ejus M DC LXXVII. præmissa, cujus verba, etsi pluscula sint, ut tamen acta viri memoria & administratione digna patefiant, lubet in medium adducere: Egressus juventæ spatia, cum jam ætatis judicio & studiorum profectu valeret plurimum, mirô desiderio visendi regiones exteras captus est. Hinc à fratre suo, Professore tunc Rostochiensi, Upsaliam missus & à *Qvistorpio*, ecclesiasti aulico, *Jo. Rotlebio* commendatus est. Complexus illum *Rotlebius* familiaritate arctissima, cumq; dotes suas pro concione cœtui probasset, Ecclesiastis munus suscipere jussus est: qvod tamen aliorum studiorum amore, in qvæ fatali qvasi destinatione qvadam rapiebatur, non subiit. Svecico itineri anno M DC XXXI. successit Danicum, pari sumtum judicio, nec dispari successu explicitum. Erat ibi in præcipuis *Christianus Sviclerus, Cancellariæ*, ut vocant, *Danicæ assessore*, qvô non alter eorundem magis amore studiorum accensus erat. Hic ut similis animi adolescentem cognovit, tantopere illum complexus est, ut qvicqvid possidere vel librorum vel divitiarum (qvod luculentum sanè erat) hoc omne illius usibus juberet inservire. Mox commoda se occasio obtulit in Belgium proficiscendi, qvod totum tunc peragravit &c. Latere verò obscurus diu & ignotus hic terrarum esse non potuit. Commendatus enim erat ab Hugonis Grotii *filio*, *Jo. Gerardo Vossio*, qvi cum decus artium ac seculi nostri esset, lubentissimè eum in intimam familiaritem admisit. Et tanti qvidem illum habuit, ut eum *celeberrimo Golio* cum qvo magnus ipsi ex societate studiorum erat usus, commendaret, Leidamq; ablegaret. Hùc cum venisset profectus, dignus habitus est, qvi ceu literarum qvoddam ornamentum omnibus, qvotqvot iis favebant, innotesceret. Missus est itaqve ad *Cornelium Anglum*, qvi licet mercaturæ operam daret, magnam tamen sui famam variarum lingvarum peritia qvæsitam reliqvit. Nihil hic prætermittendum putavit, qvod *Ravii* interesset, atq; ipsius causa vehementer omnia voluit. Qvi cum non viva tantum spirantiaq; virorum doctrina virtuteq; illustrium simulacra sectari vellet, sed & visendis ac perlustrandis memoriis atqve monumentis delectaretur, ab eo petiit, ut ad iter in terras Orientis ipsi viam pararet. Fecit id vir solenissimus,

ſimus, pro amore ſuo, qvô in noſtrum ferebatur, lubentiſſime, & per *experientiſſimum Elichmannum M. D. celeberrimum & Profeſſores Leidenſes* tantum à proceribus Belgii impetravit, ut hunc noſtrum Legato ſuo qvi Conſtantinopoli erat, à ſecretis, (qvod eidem in optatis maximè erat) deſtinarent. Angliam tamen Ao. M DC XXXVIII. prius inviſit, *celeberrimi Pocokii* famâ præſertim allectus, cujus qvidem hoſpitio atq; amicitia tam humaniter acceptus eſt, ut eum nemo omnium facilitate anteceſſerit. Sic tandem anno M DC XXXIX. *comite mercatore Anglico, Sbringero*, magnæ liberalitatis viro, Smirnam adiit, ibiqve Græcam, Italicam, Hiſpanicam, Turcicam, Perſicam, aliasq; lingvas, omnem deniq; in illo genere doctrinæ eruditionis apparatũ pro ingenii ſui amplitudine, memoriæ celeritate vigoreq; animi, qvô excellebat, feliciſſimè prorſus addidicit. Digreſſum jam & abſentẽ inaudito liberalitatis genere proſecutus eſt, *Uſſerius, epiſcopus Armaghanus*, vir immortali famæ dudum inſertus, tranſmiſſo viatico mille thalerorum. Hoc inſtructus ſubſidio, Conſtantinopolin adiit, ibiqve multis vigiliis, infinitis laboribus, indefeſſo ſtudio dotes ſuas auxit in majus, plurimaqve Orientis monumenta, theſaurum incomparabilem, maximis ſumptibus ſibi comparavit. Qvicqvid in ingeniis illuſtre, magnum ac egregium in lingvis, in Chronologia pulchrum, id admirabatur maximè & cupidè obſervabat, ſibiqve ſeponebat diligentiſſimè. Anno M DC XLI cum fratre *Comitis de Candiſch* aliisq; Angliæ nobilibus Aſiaticas Eccleſias viſitatum ivit, ubiq; augendo theſauro ſuo, & colligendis gentis ejus codicibus, noſtris terris ignotis, intentus. Tandem his ſociis mutis comitatus anno M DC XLII in Angliam rediit, *Syrosq;, Hebræos, Arabes, Chaldæos, Perſas, Turcicos, Græcos, aliosq; autores tercentum* è patrio in orbem noſtrum ad ſummum orbis noſtri decus, ceu coloniam qvandam eruditiſſimam tranſtulit. Hactenus ille.

§. 47. Sed hæc hactenus. Supereſt, ut qvid de iuſtituto hoc arbitrandum ſit, capitulatim perſtringamus. Qvô pacto autem peregrinatio adornanda ſit, non una eruditorum, qvi hoc argumentum copioſè juxtim & acuratè illuſtrarunt, extant conſilia & lucubrationes, ingenii, prudentiæ, rerumqve optimarum copia refertæ. Diffitendum autem non eſt, qvin ex peregrinatione prudenter & circumſpectè inſtituta, egregii & ſaluberrimi fructus, ad illum cumprimis, qvi

 reipu-

reipubl. se parat, dimanare possint. Qvare nec difficultatem peregrinandi, qvi ad magna & præclara eniti cupit, subterfugiet. Salubre qvippe & pulchrum est sapientissimi Thaletis, qvod Pytaghoræ dedit, monitum apud Jamblichum. l. c. 2, *ne graveris longam viam ingredi ad utilis alicujus doctrinæ professores.*

§. 48. In universum modum præscripsit, non solum honorum insigniis, sed & sapientia usuq; rerũ summus Heros, qvippe vice Comes S. Albani, & Angliæ Cancellarius, Ftanciscus Baco de Verulamio c. 18. Sermon. Fidel. ubi egregiis oppidò lectissimisq; præceptis peregrinatorem instituere sategit, qvorum nonnulla afferre non pigrabimur: Si tibi cordi sit fructum peregrinationis adolescentis in compendium re-„ digere, utq; brevi spatio multum colligat, hoc faciendum præcipio; „ primo in lingva profectus faciendus, anteqvam proficiscatur. Tum „ adjungendus servus aliqvis aut tutor, qvi *regionem* pernòrit. Habe-„ at etiam præstò librum aliqvem aut chartam chorographicam regio-„nis illius, ubi peregrinatur; qvæ instar clavis erit ad inqvirendũ. Con-„ficiat etiam *Diarium*. Ne moreturlongius in una urbe aut oppido, plus certè aut minus, prout locus meretur. Sed minimè diu. Imò dum mora-„ tur in aliqvâ *civitate* aut *oppido*, mutet sæpiùs hospitium, ex una par-„ te *oppidi* in alteram. Nam & hoc certe magnes est attrahendi fami-„ liaritates & consvetudines hominũ complurium, secludat se ut pluri-„ mum á consortio populariũm suorum, atq; in iis locis victitet, ubi „ simul convivantur homines melioris notæ ex Natione ubi *peregrina-„ tur*. Etiam cùm de loco in locum *itineratur*, paret sibi literas com-„ mendatorias ad personam aliqvam eminentiorem, degentem in lo-„ co, qvò se transfert, ut ejus favore & opera utatur in iis, qvæ spectare „ aut cognoscere desiderat. Hoc modo peregrinationis utilitatem ac-„celerare poterit. Qvatenus ad familiaritates & amicitias, qvæ inter „ peregrinandum adjungendæ sunt, utilissima omnium est illa *Secreta-„ riorum*, & ministrorum interiorum, qvibus legati utuntur. Hoc n. „ pacto in una regione *peregrinando* etiam plurium regionum notiti-„ am & experientiam ad se attrahet & suget. Visitet etiam & adeat per-„ sonas in unoqvoq; genere egregias, qvæ magni apud exteros nomi-„ nis sunt, ut possit notare, qvomodo os, vultus & corporis lineamen-„ ta & motus respondeant famæ. &c.

§. 49. Inprimis opera illi danda est, qvi ad interiorem rerum civilium notitiam pervenire contendit, ut iis ingenii morumq; dotibus

exor-

exornatus sit, doctrinaq; necessaria instructus, ut qvid notitiâ & observatione dignum, qvid exemplo & æmulatu præclarum, dignoscere valeat. Etenim verosimile non est, ut præsidiis his & adjumentis destitutus in solidioris sapientiæ adyta penetret, & ejusmodi fructus, qvos ex peregrinatione ad se redundaturos sperat, indipiscatur. Nam ut prudentissimè loqvitur Jo. Henricus Boëclerus de peregrinat. Germanic. §. 10. *tu mihi statum reipublicæ, tu mores gentium judicabis, nisi attuleris animum talis studii tractatu non vulgari subactum atq; præparatū. Sicuti n. res exiguas visu non decreveris, nisi adhibito microscopio aliqvo, figura, color, omnisq; species ex illa subtilitatis caligine in plenam conspectus humani lucem educatur: Ita subtilissimum reipubl. contextum & celantia fucis nexus vincula, & involuta tot artificiosis tenebris mysteria, qvi citra facem politici intellectus introspici posse autumat, is eâdem operâ sine pennis volare instituat, opinor. Jam alienos mores arbitrari, qvi suos non composuit, qui vitæ totius morem ignorat, non video eqvidem qvomodo possit. Veniat ad elegantes & politiori consvetudine suetos homines peregrinator incultus, abnormis, ad exemplum Gnathonis vel Æschini in comœdia factus; periisse sibi omnē virtutis exercendæ, omnem humani moris usurpandi occasionem dolebunt, donec inauspicatos ejusmodi adventores amoliti fuerint.*

§. 50. Peregrinationem porrò & Medico necessariam esse, multumq; præsidii & momenti in ipso rerum actu promittere; jam dudum evicit Galenus libro peculiari, *si qvis optimus Medicq.* & dissertatione integra de *peregrinatione Medica* ostendere sategit, Daniæ suæ decus medicæq; eruditionis maximus hodiè arbiter, Thomas Bartholinus, edita Hafniæ MDCLXXIV. ad qvam harum rerum cupidum lectorem ablegamus.

§. 51 Qvi autem in otio literarum ætatem traducere meditatur, abundè habebit, qvò cognitionis & doctrinæ sitim in peregrinatione explere possit. Præcipuè in hoc studium ejus & labor occupetur, ut nobiliores regiones, urbes, Academias perlustret, viros in illis fama & eruditione eminentiores cognoscat & audiat, notitiæ illorum & benevolentiæ insinuet, celebriores bibliothecas excutiat, rariores libros indaget, cæteraq; cognitu præclara & memorabilia in commentarios referat, usuiq; seponat. Ità enim futurum, ut profectus insigniter adjuvet, egregiasq; doctrinæ opes, non levi in vita præsidio sibi futuras, reportet.

ΣΠΙ-

† Nonnulli eruditorum Ciceronem sectæ Stoicæ addictum fuisse persvasum habuere. Nos potius Eclecticæ adjungendum putamus.

† Aristotelem veterum monumenta auspiciis Alexandri M. collecta igni dedisse, ne cui exinde ablata petescerent; delirium & commentum est antiperipateticorum, qvò aliis imponere, philosopho maculam adspergere, ejusq; doctrinam depressum ire laborárunt.

† Bellisarium Justiniani imperatoris copiarum præfectum ab illo non solum munere dimotum, sed & luminibus orbatum fuisse, vulgus historicorum credidit. Enim verò, ut rectissimè judicat Hubertus Giphanius, seculi sui Papinianus, comment. de Justin. p. m. 41. *ejus fabula ne vola qvidem, ut dicitur, aut vestigium in ullo vetere scriptore extat.*

† Veteres Germani notam historicorum declinare non potuerunt, qvod tantâ inscitia & stribligine immersi nullam literis operam tribuerunt, & potius præclara agere, qvàm scribere sategerunt. Illos tueri & vindicare conatus est vir doctissimus, Georg. Hornius 2. hist. phil. c. 11. Sed nullis firmisq; rationibus subnixus.

† Non est probanda in judicando præsidentia Tanaqvilli Fabri, eximii & clarissimi in Gallia viri, qvando assertum ivit, *Aristotelem, virum virum eruditum, non melius calluisse Græca, qvàm Livium Latina*; ut referunt Ephemerid. erudit. Tom 2. p. 702

Sed hîc terminus esto!

Lilia dum lustrant alii florentia Regis
Francigenûm, aut Latii fulgida tecta Jovis;
Atq; alii Batavæ spectant commercia gentis,
Sedesq; intutas, Tessaranacte, tuas,
FRANCUS en! angusto Muséi limite clausus
Mente per orbem omnem liberiore meat,
Et jam se Samio jungens, magnoq; Platoni,
Jam Coo Hippocrati, Mœonioq; Seni;
Moxq; comes Ravii, postremo hoc tempore nati,
Consulit ingentes gentium ubiq; Sophos.
Et benè! morbum illi referunt persæpè pudendum,
Atq; alia ex aliis crimina fœda plagis;
Hic sibi grande Sophôs parat ex sermone Sophorum,
Imbibit & mores cum varia arte bonos.
Scilicet huic FRANCO docti sunt FRANCIA libri,
Libri etiam FRANCO LILIA pulcra ferent.

L. Joachimus Fellerus, Poes. P. P.
& Acad. Bibliothecarius.